



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 9. Admiranda in Regno Valentiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 9. De Valentia.

IN vrbe *Sagunto*, nunc *Morniedro*, templum olim Dianæ ducentis annis, vt creditur, ante Troiam excisam à Zacynthiis conditum, cuius trabes ex Iunipero ad Vespasiani tempora perdurarunt integræ, neque fatifcentes. *Plinius lib. 16. cap. 40. Ex Bocchi, Historiis.*

Ibidem ante centum annos in cœnobio, vetulæ Abbatissæ, & edentulæ iuuentus restituta, renouati dentes, crines denigrati, sulci frontis æquati, compactæ mammæ, &c. *Valesius Tarentasius apud Delrium.*

§. 10. De Catalonia.

AD *Salsulas*, vulgò *Salses*, reperiuntur pisces fossiles, eodem modo quo alibi vermes. Item quoque fons dictus *Salsula* in lacum influit cognominem, de *Salses* ou de *Locate*. Is autem hyeme saltem tepidus, æstate verò frigidissimus, vnde copiosa fit in lacu piscatio. *Pompon. Mela. Polybius. Athenæus. Strabo.*

In Catalonia *Cannarum* mons altissimus, cuius in apice lacus dæmonibus additus. Aqua eius subnigra, in eum si lapis immitatur tempestas concitatur. Narrant indigenæ puellam dæmonibus à patre deuotam non procul ab hoc lacu à iisdem seruata esse, & posthac mirabiliter ereptam. Videtur esse hæc magorum statio. *Geruasius quidam.*

§. 11. De Aragonia.

SAL mira dulcedine quasi faccaro temperatus ex montibus *Tarraconensibus* cæditur; ideoque magni fit à Cupediariis. *Sidonius Epist. ad Orestum.*

Darocæ vbi sacra seruantur Corporalia, ostenditur saxum non malè hominem referens, in quod mutatum aiunt sacerdotem, qui coram sacris hostiis peierans optauerat in saxum rigere. *Nierembergius.*

Salo Fl. ad *Bilbilim* ferrum adedò durum reddit vt ægrè frangatur. *Iustinus, & alij passim.*

In